

oportet quod cessante motu celi, nihil sit agens quod possit corpus per alterationem aliquam transmutare à sua naturali proprietate: & ideo post resurrectionem, cessante motu celi, nulla qualitas erit sufficiens ut corpus humanum alterare possit à sua naturali qualitate; corruptio autem est terminus alterationis, sicut & generatio: unde corpora damnatorum corrumpi non poterunt: & hoc deservit divine justitiæ, ut perpetuo viventes, perpetuo puniantur, quod divina justitia requirit, ut infra dicitur; sicut & nunc corruptibilitas corporum deservit divine providentiæ, per quam ex aliquibus corruptis alia generantur. Alio modo contingit ex hoc quod principium corruptionis impeditur; & hoc modo corpus Adæ incorruptibile fuit: quia contrariæ qualitates in corpore hominis existentes, continebantur per gratiam innocentie, ne ad dissolutionem corporis agere possent, & multo plus continebantur in corporibus gloriosis, quæ erant omnino subjecta spiritui: & sic in corporibus beatorum post resurrectionem communem conjungentur duo prædicti modi incorruptibilitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod contraria ex quibus corpora componuntur, sunt duo principia ad corruptionem agentia. Primum enim agens est motus celestis: unde supposito motu celesti, necesse est ut corpus ex contrariis compositum corrumpatur, nisi sit aliqua causa potior impediens. Sed motu celi remoto, contraria ex quibus corpus componitur, non sufficiunt ad corruptionem faciendam etiam secundum naturam, ut patet ex dictis. Cessationem autem motus celi Philosophi non cognoverunt: unde pro infallibili habebant quod corpus compositum ex contrariis corrumpatur secundum naturam.

Ad secundum dicendum, quod incorruptibilitas illa erit per naturam, non quod sit aliquod incorruptionis principium in corporibus damnatorum, sed per defectum principii moventis ad corruptionem, ut ex dictis patet.

Ad tertium dicendum, quod quamvis mors sit simpliciter maxima pœnarum secundum quid, tamen nihil prohibet mortem esse in pœnarum remedium, & per consequens ablationem mortis in pœnarum augmentum. Vivere enim, ut dicitur in V. Ethicor. cap. ix. vel xi. videtur omnibus delectabile esse, eo quod omnia esse appetunt. Non oportet autem, ut ibidem dicitur, accipere malam vitam, neque corruptam, neque quæ est in tristitiis. Sicut ergo vivere simpliciter est delectabile, non autem vita quæ est in tristitiis; ita & mors quæ est privatio vitæ, simpliciter est pœnosa; & maxima pœnarum, in quantum subtrahit primum bonum, scilicet esse, cum quo omnia alia subtrahuntur; sed in quantum privat malam vitam, & quæ est in tristitiis, est in remedium pœnarum quas terminat, & per consequens mortis subtractio est in augmentum pœnarum quas perpetuas facit. Si autem dicatur mors esse pœnalis propter corporalem dolorem quem sentiunt morientes, non est dubium quod multo majorem dolorem damnati continue sustinebunt; unde in perpetua morte esse dicuntur, sicut scriptum est in Psalm. XLVIII. 15. *Mors depascet eos.*

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod principalis causa quare corpora damnatorum ab igne non consumuntur, erit divina justitia, quia eorum cor-

(1) Al. eorum. (2) Nicolai de simplicibus medicamentis. (3) Al. additur ab igne.

pora ad perpetuam pœnam sunt addicta. Sed divine justitiæ servit etiam naturalis dispositio ex parte corporis patientis, & ex parte agentium: quia cum pati sit recipere quoddam, duplex est modus passionis, secundum quod aliquid in aliquo recipi potest dupliciter. Potest enim aliqua forma recipi in altero aliquo secundum esse naturale materialiter, sicut calor recipitur ab igne in aere; & secundum hunc modum receptionis est unus modus passionis, qui dicitur passio naturæ. Alio modo aliquid recipitur in altero spiritualiter per modum intensiōis cuiusdam, sicut similitudo albedinis recipitur in aere, & in pupilla; & hæc receptio similatur illi receptioni quæ anima recipit similitudines (1) rerum: unde secundum hunc modum receptionis est alius modus passionis, qui vocatur passio animæ. Quia ergo post resurrectionem, & motu celi cessante, non poterit aliquid corpus alterari à sua naturali qualitate, ut dictum est, nullum corpus pati poterit passione naturæ: unde quantum ad hunc modum passionis corpora damnatorum impassibilia erunt, sicut & incorruptibilia. Sed cessante motu celi, adhuc manebit passio quæ est per modum animæ: quia & aer à sole illuminabitur, & colorum differentias ad visum deferet: unde & secundum hunc modum passionis corpora damnatorum passibilia erunt. Et quia in tali passione sensus perficitur, ideo in corporibus damnatorum sensus pœnæ erit sine mutatione naturalis dispositionis. Corpora vero gloriosa, etsi recipiant aliquid, & quodammodo patiantur in sentiendo, non tamen passibilia erunt: quia nihil recipient per modum afflictivi, vel læsivi, sicut recipient corpora damnatorum, quæ ob hoc passibilia dicuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de illa passione per quam transmutatur patientis à sua naturali dispositione. Talis autem passio non erit in corporibus damnatorum, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod similitudo agentis est dupliciter in patiente. Uno modo per eundem modum quo est in agente, sicut est in omnibus agentibus univocis, ut calidum facit calidum, & ignis generat ignem. Alio modo per modum diversum à modo quo est in agente, sicut est in omnibus agentibus æquivocis, in quibus quandoque contingit quod in agente est forma spiritualiter, quæ in patiente materialiter recipitur; sicut forma quæ est in domo facta per artificem, est materialiter in ipsa, & in mente artificis est spiritualiter: quandoque vero est converso est materialiter in agente, & recipitur spiritualiter in patiente, sicut albedo materialiter est in pariete à quo recipitur spiritualiter in pupilla; & in medio deferente; & similiter est in proposito: quia species quæ materialiter est in igne, recipitur spiritualiter in corporibus damnatorum; & sic ignis assimilavit sibi damnatorum corpora, nec tamen ea consumeret.

Ad tertium dicendum, quod secundum Philosophum in Lib. de proprietatibus elementorum, cap. 1. nullum animal in igne vivere potest. Galenus enim in Lib. (2) de simplicibus medicina dicit, quod nullum corpus est quod tandem ab igne non consumatur, quamvis quædam corpora sint quæ ad horam in igne sine læsione permanent, ut patet de ebano: unde quod inducitur de salamandra, non est omnino simile: quia non posset perseverare finaliter in igne sine corruptione, sicut corpora damnatorum (3) in inferno. Nec tamen oportet quod quia corpora damnatorum ab igne inferni per corruptionem aliquam non

creduntur, propter hoc ab igne non affligantur: quia sensibile non solum natum est delectare, vel affligere sensum, secundum quod agit actione naturæ confortando, vel contumendo organum, sed etiam secundum quod agit actione spirituali: quia quando sensibile est in debita proportionem ad sentientem, delectat; è contrario autem quando se habet in superabundantia, vel defectu: unde & colores medii, & voces consonantes sunt delectabiles, & inconsonantes offendunt auditum.

Ad quartum dicendum, quod dolor non separat animam à corpore secundum quod manet tantum in potentia animæ, cuius est dolere, sed secundum quod ad passionem animæ mutatur corpus à sua naturali dispositione, secundum modum quo videmus quod ex ira corpus calefit, & ex timore frigescit. Sed post resurrectionem corpus non poterit transmutari à sua naturali dispositione, ut ex dictis patet: unde quantumcumque sit dolor, animam à corpore non separabit.

ARTICULUS II.

Utrum ignis inferni, quo corpora damnatorum cruciabantur, sit ignis corporeus.

IV. contra Gent. cap. xc. & quodl. 11. art. 13.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod ignis inferni, quo corpora damnatorum cruciabantur, non sit ignis corporeus. Dicit enim Damascenus in IV. Lib. (1) in fine: *Tradetur diabolus, & demones ejus, & homo ejus, scilicet Antichristus, & impij, & peccatores in ignem æternum, non materiale, qualis est qui apud nos est, sed qualem utique novit Deus.* Sed omne corporeum est materiale. Ergo ignis inferni non erit corporeus.

2. Præterea. Animæ damnatorum à corpore separata ad ignem inferni deferuntur. Sed Augustinus dicit XII. super Gen. ad litter. cap. xxxi. *Spiritualiter arbitror esse locum, scilicet ad quem anima deferretur post mortem, non corporalem.* Ergo ignis ille non est corporeus.

3. Præterea. Ignis corporeus in modo suæ actionis non sequitur modum culpæ in eo qui igne crematur, sed magis modum humiditatis, vel siccitatis: in eodem enim igne corporeo videmus affligi justum, & impium. Sed ignis inferni in modo suæ actionis sequitur modum culpæ in eo qui punitur: unde Gregorius in IV. Dial. cap. XLIII. *Unus quidem est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores: uniuscujusque enim quantum exigit culpa, tantum sentietur pœna.* Ergo ignis ille non est corporeus.

Sed contra est quod dicitur in IV. Dialog. cap. xxv. *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.*

Præterea. Sapient. v. 21. dicitur: *Pugnabit orbis terrarum contra insensatos.* Sed non totus orbis contra insensatos pugnaret, si solummodo spirituali pœna, & non corporali punirentur. Ergo punientur igne corporeo.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod ignis ille non sit ejusdem speciei cum igne isto corporeo quem videmus. Augustinus enim dicit, & habetur in littera: *Ignis æter-*

nus cujusmodi sit, arbitror scire neminem, nisi forte cui spiritus divinus ostendit. Sed naturam istius ignis omnes, vel fere omnes sciunt. Ergo ille ignis non est ejusdem naturæ, vel speciei cum isto.

2. Præterea. Gregorius dicit XV. Lib. Moral. cap. xiv. vel xvii. exponens illud Job xx. *Devorabit eum ignis, qui non succenditur:* Ignis corporeus ut esse valeat, corporeis indiget fomentis: (2) nec valet, nisi succensus esset, & nisi refoctus, subsistere. At contra gehennæ ignis, cum sit corporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus, semel durat inextinguibilis, (3) & succensione non indiget, & ardore non caret. Ergo non est ejusdem naturæ cum corporeo igne quem videmus.

3. Præterea. Æternum, (4) & corruptibile non sunt unius rationis, cum nec etiam in genere conveniant, secundum Philosophum in X. Metaph. text. ult. Sed ignis iste est corruptibilis, ille autem æternus: Math. xxv. 41. (5) *Ite maledicti in ignem æternum.* Ergo non sunt ejusdem speciei.

4. Præterea. De natura hujus ignis qui apud nos est, est ut luceat. Sed ignis inferni non lucet: unde dicitur Job xviii. 5. *Nonne lux impij extinguetur?* Ergo non est ejusdem naturæ cum isto igne.

Sed contra. Secundum Philosophum in I. Topic. cap. v. omnis aqua omni aquæ est idem specie. Ergo eadem ratione omnis ignis omni igni idem est in specie.

Præterea. Sap. xi. 17. dicitur: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Sed omnes homines peccant per res sensibiles hujus mundi. Ergo justum est ut per easdem puniantur.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod ignis ille non sit sub terra. Quia Job xviii. 18. de homine damnato dicitur: *Et de orbe transferet eum Deus.* Ergo ille ignis quo damnati punientur, non est sub terra, sed extra orbem.

2. Præterea. Nullum violentum, & per accidens potest esse sempiternum. Sed ignis ille erit in inferno in sempiternum. Ergo non erit ibi per violentiam, sed naturaliter. Sed sub terra non potest esse ignis nisi per violentiam. Ergo ignis inferni non est sub terra.

3. Præterea. In igne inferni omnia corpora damnatorum post diem judicii cruciabantur. Sed corpora illa locum replebant. Ergo cum futura sit maxima multitudo damnatorum: quia *stultorum infinitus est numerus*; Eccles. 1. 15. oportet maximum esse spatium in quo ignis ille continetur. Sed inconveniens videtur infra terram esse tantam concaviratem, cum partes terræ naturaliter ferantur ad medium. Ergo ignis ille non erit sub terra.

4. Præterea. Sapient. xi. 17. dicitur: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Sed multi super terram peccaverunt. Ergo ignis eos puniens non oportet esse sub terra.

Sed contra est quod dicitur Isai. xiv. 9. *Infernus subrus conturbatus est in occursum (6) tui.* Ergo ignis inferni sub nobis est.

Præterea. Gregorius dicit in IV. Dialog. cap. XLII. *Quid obstat non video (7) ut infernus sub terra esse credatur.*

Præterea. Sapient. xi. 17. dicitur: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Sed multi super terram peccaverunt. Ergo ignis eos puniens non oportet esse sub terra.

(1) Al. In fine tradetur. (2) Al. nec videtur, nisi succensus esset, & nisi refoctus subsisteret. (3) Al. succensione. (4) Al. & concupiscibile. (5) Vulgata: *Discedite à me.* (6) Vulgata *adventus tui.* (7) Al. additur nisi.

Præterea. Jonæ 11. super illud: *Projecisti me in corde (8) maris*, Glossa interlinealis: „idest, in inferno:“ pro quo dicitur in Evangelio Matth. xli. 40. *In corde terra*: quia sicut cor est in medio animalis, ita infernus esse in medio terræ perhibetur.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod de igne inferni fuit multiplex positio.

Quidam enim Philosophi, ut Avicenna, resurrectionem non credentes, solius animæ post mortem penam esse crediderunt: & quia eis inconueniens videbatur ut anima, cum sit incorporea, igne corporeo puniretur, negaverunt ignem corporeum esse, quo mali punirentur, volentes quod quidquid dicitur de pena animarum post mortem futura per aliqua corporalia, metaphorice dicatur. Sicut enim bonarum animarum delectatio, & iucunditas non erit in aliqua re corporali, sed spirituali tantum, quod erit in consecutione finis sui; ita afflictio malorum erit spiritualis tantum, in hoc scilicet quod tristabuntur de hoc quod separantur à fine, cuius inest eis desiderium naturale. Unde sicut omnia quæ de delectatione animarum post mortem dicuntur, quæ videntur ad delectationem corporalem pertinere, sicut quod reficiantur, quod rideant, & huiusmodi; ita etiam quidquid de harum afflictione dicitur quod in corporalem punitionem sonare videtur, per similitudinem debet intelligi, sicut quod igne ardeant, vel fœtoribus affligantur, & cætera huiusmodi. Spiritualis enim delectatio, & tristitia, cum sit ignota multitudini, oportet quod per delectationem, & tristitiam corporales figuratim manifestatur, ut homines moveantur magis ad desiderium, vel timorem. Sed quia in pena damnatorum non solum erit pena damni, quæ respondet aversio quæ fuit in culpa, sed etiam pena sensus, quæ respondet conversioni; ideo non sufficit prædictum modum punitionis ponere: & ideo etiam ipse Avicenna in *Metaph. tract. ix. cap. vii.* alterum modum superaddit, dicens, quod animæ malorum post mortem non per corpora, sed per corporum similitudines punientur, sicut in somnis propter similitudines prædictas in imaginatione existentes videtur homini quod torqueatur pœnis diversis: & hunc etiam modum punitionis videtur ponere Augustinus in *XII. super Gen. ad lit. cap. xxxi.* sicut ibidem manifeste patet. Sed hoc videtur inconuenienter dictum esse. Imaginatio enim potentia quædam est utens organo corporali: unde non potest esse quod visiones imaginativæ fiant in anima separata à corpore, sicut in anima somniantis; unde etiam Avicenna, ut hoc inconueniens evaderet, dixit, quod animæ separata à corpore utebantur quasi pro organo aliqua parte cœlestis corporis, cui corpus humanum oportet esse conforme ad hoc quod perficiatur anima rationali, quæ est similis motoribus cœlestis corporis, in hoc secutus quodammodo opinionem antiquorum Philosophorum, qui posuerunt animas redire ad comparas stellas. Sed hoc est omnino absurdum secundum doctrinam Philosophi: quia anima utitur determinato organo corporali, sicut ars determinatis instrumentis: unde non potest transire de corpore in corpus, quod Pythagoras posuit, ut dicitur in *I. de Anima, text. lxi.* Qualiter autem ad dictum Augustini sit respondendum, infra in resp. ad 2. dicitur. Quidquid autem dicatur de igne qui animas sepa-

(8) *Al. Glossa maris*, intelligitur, idest &c. (9) *Forte speciali*, (10) *Al. si aut in aliena*, in qua &c.

ratas cruciat, de igne tamen quod cruciabuntur corpora damnatorum post resurrectionem, oportet dicere quod sit corporeus: quia corpori non potest convenienter pœna aptari nisi corporea. Unde Gregorius in *IV. Dial. cap. xxviii. & xxix.* ex hoc ipso probat inferni ignem esse corporeum, quod reprobi post resurrectionem in eum detruduntur. Augustinus etiam, ut in littera, manifeste confitetur ignem illum quo corpora cruciabuntur, corporeum esse; & de hoc ad præsens est quæstio. Qualiter autem animæ damnatorum ab igne isto corporeo puniantur, infra dist. l. quæst. 11. art. 3. dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod Damascenus non negat simpliciter ignem illum materiale esse, sed quod non est materialis talis qualis apud nos est, eo quod quibusdam proprietatibus ab hoc igne distinguitur. Vel dicendum, quod quia ignis ille non materialiter alterat corpora, sed quadam spirituali actione agit in ea ad punitionem, ut ex dictis patet; ideo non dicitur materialis, non quantum ad substantiam, sed quantum ad punitionis effectum in corporibus, & multo amplius in animabus.

Ad secundum dicendum, quod dictum Augustini potest hoc modo accipi, ut pro tanto dicatur locus ille ad quem animæ deferentur post mortem, non esse corporeus, quia anima in eo corporaliter non existit, per modum scilicet quo corpora existunt in loco, sed alio modo (9) spirituali, sicut Angeli in loco sunt. Vel dicendum, quod Augustinus loquitur opinando, & non determinando, sicut frequenter facit in Libro illo.

Ad tertium dicendum, quod ignis ille erit instrumentum divinæ justitiæ punientis. Instrumentum autem non solum agit in virtute propria, & per proprium modum, sed etiam in virtute principalis agentis, & secundum quod est regulatum ab eo: unde quamvis ignis secundum propriam virtutem non habeat quod aliquos cruciet magis, vel minus secundum modum peccati; habet tamen hoc secundum quod ejus actio modificatur ex ordine divinæ justitiæ; sicut etiam ignis fornacis modificatur ex industria fabri in sua actione secundum quod competit ad effectum artis.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod ignis propter hoc quod est maximæ virtutis in agendo inter reliqua elementa, alia corpora pro materia habet, ut dicitur in *II. Meteor. cap. viii.* unde & ignis dupliciter invenitur, scilicet in propria materia, prout est in sphaera sua, vel in materia aliena, sive terrestri, ut patet in carbone, sive aerea, sicut patet in flamma. Quocumque autem modo ignis invenitur, semper idem est in specie quantum ad naturam ignis pertinet. Potest autem esse diversitas in specie quantum ad corpora quæ sunt materia ignis: unde flamma, & carbonis differunt specie, & similiter lignum ignitum, & ferrum ignitum. Nec differt quantum ad hoc, sive ignita sint per violentiam, ut in ferro apparet, sive ex principio intrinseco naturali, ut accidit in sulphure. Quod ergo ignis inferni quantum ad hoc quod habet de natura ignis, sit ejusdem speciei cum igne qui apud nos est, manifestum est: utrum autem ille ignis sit in propria materia existens, (10) aut in aliena, & si in aliena, in qua materia sit, nobis ignotum est: & secundum hoc potest ab igne qui apud nos est, specie differre materialiter consideratus. Quasdam tamen pro-

proprietates differentes habet ab igne isto, sicut quod (1) succensione non indiget, nec lignis nutritur. Sed istæ differentiæ non ostendunt diversitatem in specie quantum ad id quod pertinet ad naturam ignis.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur quantum ad id quod est materiale in illo igne, non autem quantum ad ignis naturam.

Ad secundum dicendum, quod ignis iste qui apud nos est, lignis nutritur, & ab homine succenditur, quia est artificialiter, & per violentiam in alienam materiam introductus; sed ignis ille lignis non indiget quibus foveatur, quia vel est in propria materia existens, vel est in materia aliena non per violentiam, sed per naturam à principio intrinseco: unde non est ab homine accensus, sed à Deo, qui naturam illam instituit: & hoc est quod dicitur *Isai. xxx. 33. Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

Ad tertium dicendum, quod sicut corpora damnatorum erunt ejusdem speciei cuius & modo sunt, quamvis nunc sint corruptibilia, tunc autem incorruptibilia ex ordine divinæ justitiæ & propter quietem motus cœli; ita est etiam de igne inferni, quo corpora illa punientur.

Ad quartum dicendum, quod lucere non convenit igni secundum quemlibet modum existendi, quia in propria materia existens non lucet, unde non lucet in propria sphaera, ut Philosophi dicunt. Similiter etiam in aliqua materia aliena ignis existens non lucet, sicut cum est in materia opaca terrestri, ut in sulphure. Similiter est etiam quando ex aliquo grosso fumo ejus claritas obscuratur. Unde quod ignis inferni non lucet, non est sufficiens argumentum ad hoc quod non sit ejusdem speciei.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod sicut Augustinus dicit, & habetur in littera, *in qua parte mundi infernus sit: scire neminem arbutur, nisi cui divinus spiritus revelavit*: unde & Gregorius in *IV. Dialog. cap. xlii.* super hac quæstione interrogatus, respondet: *Hac de re temere diffinire non audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putaverunt: alii vero hunc sub terra esse existimant.* Et hanc opinionem probabilior esse ostendit dupliciter. Primo ex ipsa nominis ratione, sic dicens: *Si idcirco infernum dicimus, quia inferius jacet, quod terra (2) ad cœlum est, hoc esse infernum debet ad terram.* Secundo autem ex hoc quod dicitur *Apoc. v. 3. Nemo poterat neque in cœlo, nec in terra, neque sub terra aperire librum*: ut hoc quod dicitur in cœlo, referatur ad Angelos, hoc quod dicitur in terra, referatur ad homines viventes in corpore; hoc quod dicitur *sub terra* referatur ad animas existentes in inferno. Augustinus etiam in *XII. super Genes. ad litteram cap. xxxiv.* duas rationes tangere videtur, quare congruum sit quod infernus sit sub terra. Una est, ut quoniam defunctorum animæ amore carnis peccaverunt, hoc eis exhibeatur quod ipsi carni mortuæ solet exhiberi, ut scilicet sub terra recondantur. Alia est quod sicut est gravitas in corporibus, ita tristitia in spiritibus, & lætitia sicut levitas: unde sicut secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora; ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora: & sic sicut conveniens locus gaudii electorum est cœlum empy-

In IV. Sent. Tom. V.

(1) *Al. succensione*. (2) *Al. à cœlo*. (3) *Al. tristis*. (4) *Al. in terra insatiabili ponitur*. (5) *Al. trahens sensum &c.*

reum; ita conveniens locus tristitiæ damnatorum est infimum terræ. Nec debet movere quod Augustinus ibidem dicit, quod inferi sub terris esse dicuntur, vel creduntur: quia in *Lib. retractationum Lib. II. cap. xxiv.* hoc retractans, dicit: *Mihi videor dicere debuisse magis quod sub terris sunt inferi, quam rationem reddere cur sub terris esse dicantur, sive credantur.*

Quidam tamen Philosophi posuerunt, quod locus inferni erit sub orbe (3) terrestri tamen supra terræ superficiem ex parte opposita nobis; & hoc videtur Isidorus sensisse, cum dixit, quod sol, & luna in ordine quo creati sunt, stabunt, ne impil in tormentis positi fruantur luce eorum: quæ ratio nulla esset, si infernus infra terram esse dicatur. Qualiter tamen hæc verba possint exponi, patebit infra dist. *xlviii.* Pythagoras vero posuit locum pœnarum in sphaera ignis, quam in medio totius orbis esse dicit, ut patet per Philosophum in *II. Cœli & mundi*. Sed tamen convenientius his quæ in Scriptura dicuntur, est ut sub terra esse dicatur.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud *Job, De orbe transferret eum Deus*, intelligendum est de orbe terrarum, idest de hoc mundo: & hoc modo exponit Gregorius dicens, *Lib. XIV. Moral. cap. xiv. De orbe quippe transfertur, cum superno apparente iudice de hoc mundo tollitur, in quo perverse gloriatur.* Nec est intelligendum quod orbis hic accipiat pro universo, quasi extra totum universum sit locus pœnarum.

Ad secundum dicendum: quod in loco illo conservatur ignis in æternum ex ordine divinæ justitiæ, quamvis secundum naturam suam non possit extra locum suum aliquid elementum durare in æternum, præcipue statu generationis, & corruptionis manente in rebus. Ignis autem ibi erit fortissimæ caliditatis: quia calor ejus erit undique congregatus propter frigus terræ undique ipsum circumstantis.

Ad tertium dicendum, quod infernus nunquam deficiet in amplitudine, quin sufficiant ad damnatorum corpora capienda: infernus enim *Prov. xxx. (4)* inter tria insatiabilia ponitur. Nec est inconueniens quod intra viscera terræ tanta concavitas conservetur divina virtute, quæ damnatorum omnium corpora possit capere.

Ad quartum dicendum, quod hoc quod dicitur: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, non est necessarium nisi in principalibus instrumentis peccandi. Quia enim homo in anima peccat, & corpore, in utroque ponitur; non autem oportet quod in quo loco quis peccat, in eodem puniatur, cum alius sit locus qui viatoribus, & damnatis debetur. Vel dicendum, quod intelligitur de pœnis quibus homo punitur in via, secundum quod quælibet culpa suam pœnam habet annexam, prout quisque inordinatus animus sibi ipsi est pœna, ut dicit Augustinus.

ARTICULUS III.

Utrum in anima separata remaneant potentie sensitivæ.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod in anima separata remaneant potentie sensitivæ. Augustinus enim (alius Auctor in Libro de spiritu, & anima cap. xv.) sic dicit: *Recedit anima à corpore secum (5) trahens omnia, sensum scilicet, & imaginationem, & rationem, & intellectum, intelli-*

Hh gen.